

Augus.

Domin. Si enim Christus milia peccatorum inuenit, & tamen omnia donauit; noli subducere misericordiam. At enim Apostolus: Donauit uobis in se quis aduersus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donauit uobis.

71. Hieron.

Quartò. D. Hieronymus. Petro respondens Dominus ait, non usque septies, sed usque septuagies septies; id est quadringentis nonaginta uicibus: ut roties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non posset. Hoc est dimitte fratris iniuriam sine ullo termino, & meta. Maxime tamen est expendenda D. Hieronymi ratio. Ut roties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non posset. O eximia Christi charitas, ut peccandi potestatem vincat miserationum magnitudo ab ipso diffusa! Parum enim est in noua Legis excellenti pietate, peractas indulgere offensas, ut quidquid inimicus hostili animo in te machinetur, indulgeas; ad possibilia etiam se debet animose extendere pia uirtutis audacia, & quidquid ille offendendo infestare potest, tu remittendo debes ignoscere, ad Christiana pietatis redundantiam.

Pietas Christiana non solum offensas, sed potestatem offendendi superat.

72. Chrysof.

Quintò. D. Chrysofomus homil. 62. Magnum quid se allaturum D. Petrus putauit: idcirco gloriabundus usque septies intulit: sed facilius, & misericors Dominus usque septuagies septies ait; qua quidem oratione nullum omnino numerum posuit, sed indefinitè, continè, ac semper significauit. Petrus ex septena remissione concessa, inde negandam esse reconciliationem inferebat. Dimittam usque septies. At magnus, & misericors Dominus nullum assignat terminum, ex vnaque gratia facta maiorem esse concedendam docet. Usque septuagies septies. Homo ex vno dono dato aliud negat. At Deus ex vno beneficio impenso, ad multo maiora multiplicanda facit argumentum.

Homo ex vna gratia aliam negat, Deus uero ex vna data aliam concedit.

73. Clem. Alex.

Sextò. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. cap. 8. Qui Deo assimilari contendit per maximam iniuriam acceptam obliuionem, remittens septuagies septies, utpote per totam uitam, est benignus, & clemens in quemlibet. Petrus, ut ait D. Nazianzenus Ep. 82. Preparatus, ac nimium restrictus uidetur. Sed Christus ad sui imitationem exhortatur Petrum, ut condonanda iniuria non ponat finem. Qui enim talem se exhibet in iniuriarum obliuione, ipsi Deo assimilatur. Qui Deo assimilari contendit.

Nazianz. Qui iniuriam condonat, Deo similis.

74.

Septimò. Dixerat Petrus Domino: Si peccauerit in me frater meus, dimittam ei usque septies? Respondet Christus: Usque septuagies septies. Cum enim sit frater tuus, sine termino, ac mensura debes dimittere offensam; solus namque ille uerus frater, qui scit iniuriam condonare: ille autem, quamuis alias sanguine sit frater, hoc tamen indignus nomine, si nesciat offensam remittere. Christiana enim pietatis est, ut fraternitatis vinculum memoria teneatur, iniuria uero obliuione deleatur.

Qui iniuriam condonat, frater; minime uero, qui non remittit.

75. Genes. 37.

Missus Ioseph à patre, ut uisitaret fratres suos, cumque eum errantem inuenisset quidam uir, interrogauit eum, quid quæreret. Qui ait illi: fratres meos quæro. Genes. 37. num. 15. Postea uero, cum appropinquaret iuxta illos, qui eum uidentes dixerunt: Ecce somnator uenit, uenite occidamus eum. Cur Ioseph eos fratres appellat; ipsi non fratrem, sed somniatorem dicunt? Ioseph summa beneuolentia, ac charitate fratres prosequatur, ut ponderant D. Chrysofomus, D. Bernardus serm. de multiplici bono; Rupertus, Hugo: at illi è contra Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice

Chrysof. Bernard. Rupertus. Hugo.

loqui. Rectè ergo Ioseph, qui, quamuis inuidia, & odio impetitus, offensas tamen Simeonis, & Leni, ludæ, ac aliorum multa beneuolentia condonabat, ita ut eos inuiseret, ac quæreret, illos fratres dicit: fratres meos quæro. Ipsi uero, cum sinistro, ac maleuolo animo essent affecti in iuuenem sanctum, ut mortem illi machinarentur, non fratrem, sed somniatorem nominant. Abulensis. Satis apparet, inquit, modus iste loquendi mordax, & hostilis, quia cum non fratrem, quod natura, & amoris nomen erat, sed somniatorem, tanquam quod hoc aliquid criminofum esset, vocabant. Qui, etsi offensus, iniurias condonat, frater est; qui uero hoc nescit, sed uindictam cogitat, multum ab hoc nomine distat.

Qui remittit iniurias, frater; minime uero, qui non condonat.

Abulens.

76. Genes. 4.

Nato ex Eua Caim, ait Scriptura: Rursus peperit fratrem eius Abel. Genes. 4. num. 2. Ad quidnam tendit hic modus loquendi? Cur non dicitur, peperit filium suum Abel, ut in edito partu aliorum filiorum communiter ex aliis matribus solet dici? Cur Abel frater Caim nominatur? sicut & in eius obitu profertur ad Caim: Ubi est Abel frater tuus? Et iterum; Vox sanguinis fratris tui. Cur tam frequenter Abel frater Caim appellatur in toto illo cap. 4. at uero Caim frater Abelis non vocatur? Cur, cum re uera essent fratres, sicut frater Caim nuncupatur vnus, quare & non alter Abelis frater? Cum maxime truculento uultu, ac aduerso animo Caim in germanum suum esset, Abel tamen serena facie ei cuncta ignoscebat, seque ei per omnia placidum exhibebat; indeque præclare ab ortu suo usque ad mortem fratris Caim nomine insignitur, à quo & merito ipse Caim expoliatur, cum aduerso animo esset in Abel, ita ut uindictam cogitaret, illique mortem pararet. Tanta maleuolentia fratris nomen excluderat, quod in Abel gratia, & benignitas fumabat. D. Ambrosius lib. 2. de Abel, & Caim cap. 9. loquens de amore Abelis erga Caim, sic ait: Non frater clamat. Hoc innocentiæ, & gratia germanitatis, etiam in ipsa morte seruat; Non accusat frater, sed uox sanguinis, quem ipse effudit.

Solus dicitur frater, qui remittit iniurias; non uero qui uiscitur.

Ambros.

QUESTIO X.

Quare Christus in presenti nos exhortatur ut septuagies septies offensa fratri remittatur, cum supra mandauerit, ut post tres admonitiones relinquatur?

VPRÀ hoc cap. 18. Matth. ut antecedenti cap explicauimus, mandauit Dominus: Si peccauerit in te frater tuus, uade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si autem non audierit te, adhibe tecum unum, aut duos, ut in ore duorum, aut trium restitutum sit omne uerbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesia. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Ecce post tria monita casta peccator tanquam incurabilis relinquatur. Et modò septuagies septies, imò & millies foueri mandat. Quomodo qui septuagies septies recipiendus dicitur, post tres admonitiones relinquatur? Nunquid Dominus sibi est contrarius? Absit hoc. Pro cuius solutione

77.

Ratio dubitandi.

78.

Respond. primò. Quòd in his duobus locis duo præcepta nobis tradidit Dominus. Primò in hoc præsentem

CAPVT XII.

Seruus Nequam.

Math. 18. Ideo assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Num. 24. Et cum coepisset rationem ponere, oblatu est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.

VERSIONES.

Syriacus n. 23. Propterea assimilatum est regnum caelorum viro regi, uolenti recipere rationem à seruis suis. Euth. Theoph. Qui uoluit cõferre rationem. Syriacus n. 24. Et cum incepisset recipere, obtulerunt ei quemdam debitorem. Arias. Incipiente uero ipso conferre rationem.

EXPOSITIO I.

HISTVS Dominus communis Magister communi doctrinae, ac methodo se accommodat. Quia, ut ait D. Hieronymus, Palestinarum, Syriorumq; secutus est morem, qui ad omnem sermonem parabolis iungunt, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, & exempla teneatur, atq; cordibus insigatur. Ut pote res ualde necessaria, dixerat Dominus supra, septuagies septies dimitendum, ut inquit D. Chrysofomus. Ne uideatur onerosum, toties dimittere, adiecit parabolam, & comparationem serui. Cui debitori tantam auri copiam dimisit summus Rex. Deinde ut etiam instruantur, ut patet ex uers. 35. Deum nobis peccata nostra non esse remissurum, nisi & nos iniurias fratribus remittamus. Si enim Deus Omnipotens Dominus condonat delicta homini, quanto magis miser homo homini debet condonare.

82.

Hieron. Communi doctrina accommodandum.

Chrysof.

83.

Ideo, quia scilicet toties dimitendum est, Assimilatum est regnum caelorum, nempe à me. Regnum autem caelorum est Christi doctrina, ut interpretatur Theophylactus. Vel est uia iustorum, ut ait Hugo. Aptius uero intelligitur Ecclesia militans, ut exponunt D. Gregorius, D. Remigius, Origenes, D. Thomas, Carthusianus, Abulensis quæst. 126. Dicitur autem Regnum caelorum, quia in ea regnant omnes uirtutes, per quas homines facti sunt caeli, in caelumque ascendunt. Homini regi. Vel est Pater Aeternus, ut interpretatur D. Remigius. Vel, & aptius, est ipse Christus, ut docent Origenes, D. Paschasius, & alij; qui est supremus Rex, utpote Dei filius, & homo factus per Incarnationem. Et prius dicitur homo, & postea Rex; sicque gloriatur de natura assumpta ex utero Virginis, in qua uenit ad salutem

Christus gloriatur de natura humana.

Distincta mandata traduntur.

79. Chrysof.

Per penitentiam statim à peccatis liberamur.

80. Iustinus.

Cum peccata iterantur, tanta penitentia medicinali.

Tertullian.

81. Threnor. 1.

In manu peccatoris est, per penitentiam redire ad antiquum decorem.

Paschas.

presenti textu dat mandatum de dilectione, ac Charitate proximorum, etiam inimicorum. Ut si frater per millies nos iniuria, ac opprobrio infestauerit; has omnes offensas millies etiam illi dimittamus, nil de uindicta cogitantes, sed in summa Charitate, ac amore cum habentes iuxta illud: Diligite inimicos uestros, benefacite his, qui oderunt uos. Cum Christus maximus esset suorum inimicorum amator, inde toties, ac tam repetitis uicibus hanc dilectionem suis Discipulis commendat. In superiori uero loco docet Correptionem fraternam, explicatque ad quid ex vi illius teneatur? Primò. Ut remotis arbitris, cum sic spes emendationis. Deinde uero, vel altero testibus adhibitis. Postea aduocata Ecclesia. Si uero adhuc obstinatus persistiterit, & Ecclesiam non audierit, ut ethnicus, & publicanus dimittendus, ut pote immedicabilis, de cuius luocatione non est spes.

Secundò. respondet D. Chrysofomus in Pl. 49. ad illa uerba. Si uidebas furem: sic inquit. Hic post duas admonitiones ostendit, magnum esse delictum, nec eum cogi rursus expectari. Quid ergo? sunt haec contraria? Absit, sed illud septuagies septies dicit, si cum penituerit. In prima parte egerat Dominus de peccatore in suis delictis obfirmato, qui ob sui obdurationem tanquam remedij expers relinquatur. In secunda uero parte tractat de peccatore, qui compunctus ingemiscit; qui, etsi super septuagies septies delinquit, si tamen toties uerè peniteat, toties singulis horis, atque momentis à misera seruitutis iugo liberabitur, atque super niuem dealbabitur.

De Penitentia ait D. Iustinus Respons. 9. Hanc constituit in mundo probum peccatorum medicum, uidelicet Penitentiam, que potest uis etiam mederi, qui septuagies septies deliquerit. Magna Dei pietas ad ignoscendum; non enim patitur, delictis hominum iteratis patientiam suam uincinam; nisi multiplicentur peccata; tamen si afflante Dei gratia homo uerè peniteat, repetita scelerum uenia mundabitur. Si iterum ergo per peccatum inquinatus est, non iterum te pudeat ad lauacrum penitentiae currere. Pulchrè Tertullianus cap. 7. de Penit. Non statim, inquit, succidendus, ac subruendus est animus desperatone, si secunda quis penitentia debitor fuerit: pigeat sane peccare rursus, sed rursus penitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari: iterata ualitudinis iteranda medicina est.

Quomodo sedet sola ciuitas plena populo: facta est quasi uidua domina Gentium? Threnor. 1. num. 1. Maxime notandum, quòd cum Ierusalem esset omnino deuastata, omnibusque bonis ipsoque Deo spoliata; tamen adhuc non simpliciter uidua nuncupatur, sed quasi uidua. Quid ultra ad eius uiduitatem absolutam requirebatur? Merito sanè dicitur quasi uidua; Quia in manu eius erat, Deo auxiliante, per penitentiam uiduitatis luctus deponere, iterumque sponsalia inire, ueròque sponso suo Deo copulari, ut omnibus ornamentis daretur. D. Paschasius lib. 1. in Lament. sic ait. Notandum, quòd quasi uidua, & non uere uidua dicitur: quoniam est ab sponso despicitur, sponsalitatibus tamen eius iura manent; ut si redierit, prioraq; dilectionis opera impleuerit, sponsum saltem per penitentiam recipiat.

Sylueira in Euang. Tom. IV.

generis humani. Diciturque etiam homo ob misericordiam. Rexque ob generositatem, qua debitum condonavit. Ille autem, qui noluit conseruo compati, sed eum suffocavit, seruus nuncupatur. *Qui voluit.* Quod denotat, ut ait Albertus Magnus, magnam considerationem, & consilium in multa prudentia; *Rationem ponere,* seu, ut Græcus habet, *nonferre.* Inire scilicet computationem. Interlinealis. *Qui* merita examinat, scilicet in iudicio. Theophylactus. Non enim absque iudicio punit. *Cum seruis suis.* Qui sunt omnes homines, quando vitam, mores, & actus singulorum discutit, ut ait D. Remigius. Vel sunt illi, quibus bonorum suorum administrationem credidit, ut explicat Abulensis.

3. *Et cum capisset.* Alta supremi Principis dispositio. Vbi primum voluit ponere rationem, non moras traxit, nec procrastinavit, sed rem statim feliciter exequitur, ac reum convincit. Et ponderandum, quod per se ipsum, & non per ministros computum init. Omne debitum ex sua pietate dimittere cogitabat, ministri autem clementiam nesciunt, sed totam rem vsque ad vltimum quadrantem colligunt. *Oblatus est ei vnus.* A quoniam iste adductus? A suo nempe magno, & ingenti debito. Peccata enim nostra nos accusant, & arguunt coram Deo. *Qui debebat decem millia talenta.* Luxta computationem Hebraicam idem valent, ac centum viginti milliones aureorum. De quo quaest. sequenti ad initium. Et cum tanta rerum summa esset huic seruo commissa, sine dubio ipse erat magnus, & vnus ex primis familiae domini sui. Et tamen ab his supremi Regis iustitia incipit; secus apud homines, hos magnates, & diuites praetermittunt; tantumque ad humiles, & pauos suam exactionem, & rigorem conuertunt.

QVÆSTIO I.

Quare hic seruus tanto debito est onustus?

4. **I**ndecem millibus talentorum denotatur hic magna, & ingens auri summa. Pro quo lege id, quod 2. Paralip. 25. num. 6. scribitur, *Amasiam regem Iuda in expeditionem, quam parabat adversus Idumaos, mercede conduxisset de Israel centum millia robustorum centum talentis argenti,* id est mille robustos vno talento. Talentum Atticum, ut refert Budæus lib. de Assæ, valebat sexcentos aureos. Ex quo patet, centum talenta esse sexaginta millia aureorum. Mille talenta continent sexcenta millia aureorum. Decem millia talenta efficiunt sex millia aureorum. Multo tamen maior est summa, si Hebræorum supputationem sequamur. Hebraicum enim talentum continebat duodecim millia aureorum. Indèque decem millia talenta auri sunt centum viginti milliones aureorum. Christus Dominus habebat hic sermonem, non cum Græcis, sed Hebræis; ex indèque non Græco, sed Hebraico talenti significato utebatur.

5. Quo supposito respondeo primò ad quaestionem. Quod tanta auri summa congruit optimè ad exprimentendam criminum gravitatem contra Dei maiestatem. Plus enim exigit Deus ab eo, qui vnum peccatum mortale commisit, quam si à seruo paupere Dominus exegisset centum viginti

milliones aureorum. Vnum enim peccatum mortale, cum sit contra Deum commissum, Deoque iniuriosum; imò, quantum in suo affectu, Deum est spolians sua diuinitate: longè autem multò maior est iniuria Dei, quàm sit omnis iniuria in vniuersos reges perpetrata; multoque maius est debitum, quàm sint omnia cunctorum hominum debita, quæ ab aliis hominibus debentur. Sicut enim Deus infinite superat omnes homines; sic iniuria in Deum infinite superat iniurias in omnes homines.

6. Secundò. Tanta auri summa maximè congruit antecedenti doctrinæ, in qua docuerat Dominus, fratri iniuriam dimittendam septuagies septies. Si enim Deus nobis condonat tantam peccatorum multitudinem, quæ longè excedit decem millia talentorum, id est centum viginti milliones aureorum; ergo multo magis omnes proximorum contra nos offensas eis dimittere debemus, quæ numero pauciores, & qualitate sua multo inferiores sunt; praesertim cum Deus hac lege, & conditione, nostra grauissima, & plura crimina remittat, ut & nos exiguas, & paruas offensas proximis condonemus. Matth. 6. num. 14.

7. Tertio. Origenes tract. 6. in Matth. *In principio ergo ponenda rationis oblatus est ei debitor talentorum multorum, qui scilicet multa fecerat damna, & magna ei erant iniuncta, & nullum attulit fructum, qui forsitan tot talenta perdidit, quantos perdidit homines.* Seruus iste praetorurum personam exprimebat, ut docent D. Paschasius, D. Thomas, Abulensis, & alij. Talenta autem credita sunt subditi. Quor ergo incuria sua subditi perierunt, tot talentorum factus est debitor, ut de illis redderet rationem, pro eisque penas solueret.

8. Quarto. Origenes citato loco sic pergit. *Ideo talentorum multorum factus est debitor, quoniam secutus est mulierem super talentum plumbi sedentem, cuius nomen iniquitas.* Vnde hic seruus tot millia talenta, centum viginti scilicet milliones aureorum, potuit consumere, ac deuorare? Cum enim apud mulierem sedentem super talentum plumbi, de qua meminit Zach. 5. num. 7. esset diuersatus, iam tantæ effusæ pecuniæ apparet causa. Quæ enim scelerata perditio non inest, vbi vna iniqua mulier inuenitur?

9. Quintò. Idem Origenes citato loco. *Nihil immodicum, sed omnia maxima, & pessima peccauit iste, qui oblatus est regi.* Tot seruus iste peccatis implicatur, excidit enim ei è memoria, computum coram rege esse subiturum. O quot peccata euitarentur, si homines recordarentur, se ipsos de suis factis rationem reddituros. Sextò. Theophyl. *Decem millium talentorum debitores nos sumus, qui quotidie multis beneficiis afficimur, & nil boni reparamus.* Ex ingratitude in bonis acceptis tot, tantæque debita excreuerunt.

10. Septimò. D. Augustin. serm. 15. de Verb. Domi. *Ideo dicendum est, quod, quia Lex in decem preceptis commendatur, ille debebat decem millia talentorum, per quod omnia peccata significantur, quæ secundum Legem sunt.* Ex vno peccato in aliud cecidit homo, ut in tantam delictorum multitudinem contra omnem legem deueniret, semper enim peccata parturiunt grauiora peccata.

11. Ait Isaïas cap. 14. numero 29. *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrum.* Hebraicus vertit, *De radice serpentis egredietur regulus, & fructus eius serpens igneus volans.* Arabicus

bicus Alexandrinus. *De serpente egredietur basiliscus, & serpens volans deuorans primogenitos.* Quid est, quod Propheta ait, quod venenosus coluber generat regulum, seu basiliscum, qui suo intuitu alia interficit animalia, ex basilisco prodit, serpens, seu vipera, volans ignitus, qui non solum suo aspectu enecat, sed etiam volans, cuncta quatit, ut suo sparso igne illa comburat, ac consumat. Ad hoc tendit Prophetae sermo, quod semper venenum peccati aliud noxius, & magis pestiferum producat. Peccatum tanquam venenum haustum occidit animam; ex ipsòque veneno pullulat scandalum, quod sui cognitione, tanquam suo aspectu alios in peccatum pertrahit; indèque sæpè oritur mala doctrina, ac prauus sermo, qui in alios mille errores diffundit. D. Hieronymus ibi. *De semine pessimo, inquit, nascitur regulus, qui rex serpentum est: & affatus suo, atque conspectu homines occidere dicitur: siue gemina aspiciam, quæ peccata sunt varia, de cogitationum pessimo thesauro in mala opera prorumpunt. Cuius regnauerit in hominibus alienigenus, qui à Deo alieni sunt; statim egrediuntur serpentes pennati; ut non sufficiat, cogitasse, & fecisse, quæ mala sunt, nisi patrocinium quoque malorum operum quesierint, & diuersas finxerint hereses.*

12. Acclamatur Absalon rex totius Israelis in Hebron. *Veni nuntius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon.* Eo ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: *Surgite, fugiamus; neque erit nobis effugium à facie Absalon.* 2. Reg. 15. numer. 13. Quis non miretur, quod Dauid, gloriosus princeps in bello, sic expansecat Absalon, ut festinet à facie eius fugere? Dauid fortissimus in certamine secum habebat robustissimos, ac valde exercitatos duces Ioab, & alios; Cur ergo non cogitat munire ciuitatem, ac sagacitate belli adhibita hostem profligare? Cur sic delicatum, ac indisciplinatum puerum Absalon formidat? Olim Absalon fratrem Amnon occiderat, de quo veniam à patre obtinuit; & cum vnum fratricidium iam commisisset, pro certo habebat Dauid, quod ibi non quiesceret, sed patricidium, ac mortem suorum omnium fratrum perpetraret. Iosephus relatus in Glossa. *Ad Absalon, ait, multus populus, eo inuitante, confluxit, & rex ab omnibus ordinatus est.* Dauid metuens impietatem eius, & presumptionem miratus, quia nec peccati veniam recordatus est, sed scelera potiora committeret, deliberauit fugere.

Ex vno peccato aliud maius pullulat.

Hieron.

12. Reg. 15.

Vnum peccatum via ad aliud grauius.

Ioseph.

13. Euseb. Emisf.

Nullus peccatorum de venia desperet.

Domino adest, ut cum alij peccatores viderint, huic tanto debito indulgentiam, ac remissionem concessam, nullus desperet, sed omnes animum concipiant, quod etiam in suis magnis delictis veniam impetrabunt.

14. Secundò. Iuxta Chrysostomum homil. 2. in parabola decem millium talent. dicitur: *Non solum in hoc periculo versabatur, quod quidquid illi mutuum datum erat, id omne absumperat, sed etiam in eo, quod primus oblatus est Domino.* Cum hic primus ante Dominum astat, maximè eius discrimen significatur; nam si alius hunc debitorem antecederet, qui deteriorem redderet rationem, hic poterat sibi facile indulgentiam sperare. At cum hic primus in computo tam iniquus esset, in magno discrimine constituebatur. Qui enim primi sunt in iudicio, primi & in periculo reputantur.

15. Adamus ob paruum cibi quantitatem comestam rigida multatus est poena, itaut ei dicitur: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua, &c.* Gen. 3. num. 16. Cur Dominus tam seuerus in Adam ob vnum delictum commissum, cum tamen in eius descendibus, qui passim multis criminibus implicantur, valde sit benignus, in multa patientia dissimulans magna. Adamus primus præcepti præuaricator, primusque qui ante tribunal ad iudicium stetit: non mirum ergo, quod tam acri poena puniatur. Qui primus in solitudine inuentus est in die sabbati colligens ligna, ex diuina sententia, *Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Numer. 15. num. 35. Et postea alij similiter delinquentes non tali supplicio castigantur. Inde illi tanta poena, quia primus de crimine iudicatur: Theodoretus quaestio. 37. in Genes. *Considerandum est, inquit, quod primis legum transgressoribus sine venia supplicia infliguntur, quod & factum est circa legem de sabbato latam. Cum enim, qui die sabbati ligna colligere ausus erat, & ita primus legem transgredi, populus vniuersus lapidauit; id enim Deus praeceperat, ut qui suis manibus de nocente supplicium sumpserant, deinceps legem transgredi reformidarent, tanquam supplicij causam. Longe verò post tempore circa permulti legem de sabbato violauerint, id patienter legislator tulit. Conueniebat igitur, Adamum, qui primus legem acceperat, & eam quidem leuissimam, luere poenam delicti, ad utilitatem generis humani.*

18. Cum autem non haberet, vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & uxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. Num. 26. Prostratus ergo seruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

VERSIONES.

Vatablus n. 25. Et omnia quæ habebat, & fieri solutionem.

Euthym. n. 26. Prostratus ergo seruus ille adorabat eum, dicens:

T 3 Domi